1820

# DISSERTATIO MEDICA

# INAUGURALIS.

Groningen 1820

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# *MACERATIONE VENTRICULI INFANTUM*,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

*RECTORIS MAGNIFICI*,

CORNELII DE WAAL,

*A. L. M. Phil. et I. U. Doct. Philosophiae, nominatim Logices, Metaph. et Discipl. Moralis Prof. Ordinarii*,

ET

FACULTATIS MEDICAE CONSENSU,

*PRO GRADU DOCTORATUS*,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,

DEFENDET

TAMMO SMIT,

E PAGO OUDE PEKEL-A.

Ad diem XIX Iunii MDCCCXX. Hora XI½.

*GRONINGAE*, *apud*
*Viduam* B. VAN DER KAMP, *Typographam.*

PATRI OPTIMO;

# HARMANNO SMIT,

MEDICINAE DOCTORI,

SACRUM.

# PRAEFATIO.

*Quum ad summos in Medicina adspirans honores, de apta ad disſertandum materia eligenda cogitationes volvebam, hac in urbe infans morbo singulari ventriculi moriebatur, qui rarius adhuc observatus, et a paucis tantum Auctoribus descriptus est. Hunc morbum, ut ulterius divulgaretur, Vir Cl.* S. E. STRATINGH, *Praeceptor meus aestumatisſimus, a quo de conscribendo Specimine Inaugurali consilium petiveram, mihi tractandum proposuit. Quod cum non incongruum visum sit, quamquam me tanto labori rite perficiendo imparem sentirem, hanc materiam disſerere suscepi, atque ductu Viri Cl.* STRATINGH, *quantum in me fuit, elaboravi. Viro huic Cl. Promotori exoptatisſimo pro suo consilio, quo mihi in conscribenda hac Disſertatione toties uti licuit, multisque aliis, quam maximas gratias ago. Plurimum quoque debeo Viro Cl.* E. J. TH. À THUESSINK,

*cui*

*cui, ut et ceteris meis Praeceptoribus Cl.* P. DRIESSEN, G. BAKKER, P. HENDRIKS, *nec non Viro plurimum venerando* M. J. ADRIANI, *in pago* Oude Pekel-A *Verbi Divini Ministro, numerosis illorum beneficiis devinctus, animum gratissimum obtestor.*

---

DIS-

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
## DE
# *MACERATIONE VENTRICULI INFANTUM* (*).

## CAPUT I.
### *Historia Litteraria.*

### § I.

Quodsi legamus illos anterioris aevi Auctores, qui morborum ventriculi historias memoria prodiderunt, factam saepisfime videmus mentionem de erosionibus et perforationibus, quas

(*) Quoniam ventriculus omnium intestinorum frequentisfime disfolvatur, hunc titulum, quo Alii hunc morbum insigniverunt, retinere volui: neque sciens, quo aptius latine rem denotarem, *macerationis* vocabulo sum usus.

quas tunicae huiusce visceris, variis locis, variis modis, subiisse visae sunt. Multa harum exempla invenimus enarrata a cl. BAUHIN (*a*), cl. COURTIAL (*b*), cl. CAMERARIO (*c*), cl. STOLL (*d*), cl. MERKLIN (*e*), cl. GEOFFROIJ (*f*), aliisque: verum omnes a gangraena, suppuratione, induratione, vel etiam ab ingestis substantiis venenatis, quae, aut producta inflammatione, aut vi chemica, parietes dissolverant, originem ducunt, et qua tales ab Auctoribus descriptae sunt.

§ 2.

Ast vero, ante 50 circiter annos, Doctiss. HUNTERUS, in tractatu quodam, cui titulus est:

*on*

---

(*a*) BONETI *sepulcretum anat. Lib.* III. *Sect.* XXI. *observ.* XXV. *Tom.* II. *p.* 440.

(*b*) *Journal des scavans*, 1688.

(*c*) *Ephem. Natur. Cur. Tom.* III. *obs.* LXIII. *p.* 62.

(*d*) *Heilungsmethode.* S. I. S. 271.

(*e*) *Miscell. Nat. cur. Dec.* I. *An.* II. *observ.* 229.

(*f*) *Memoire de la Societé Royale de Medecine. An.* 1780 *et* 1781. *p.* 162 *et* 63.

*On the Digestion of the stomach after death* (g), Medicos attentos reddidit in vitium singulare ventriculi, ab ipso in cadaveribus nonnullorum defunctorum observatum, quod, praeter disruptionem, quam saepe comitem habebat, a prioribus longe differt, et a causis oboritur, tunc temporis qua talibus nondum cognitis; nempe in disfolutionem tunicarum actione *succi gastrici* productam. Huius descriptionem absolvit hisce verbis: „ *The appearance, which has been* „ *hinted at, is a disfolution of the stomach at* „ *its great extremity, in consequence of which,* „ *there is frequently a considerable aperture ma-* „ *de in that viscus. The edges of this ope-* „ *ning appear to be half dissolved; very much* „ *like that kind of dissolution, which fleshy parts* „ *undergo, when half digested in a living sto-* „ *mach, or when disfolved by a caustic alcali,* „ *viz: pulpy, tender, and ragged:*" et sequenti pagina, ubi pars sana alteri disfolutae comparatur: „ *What is sound, will appear soft, spon-* „ *gy and granulated, and without distinct* „ *bloodvesfels, opaque and thik; while the o-* „ *ther will appear smooth, thin, and more trans-*

„ *pa-*

(g) *Philos. Transact.* Tom. LXII. p. 447.

„ *parent; and the vessels will be seen ramify-*
„ *ing in its substance, and upon squeezing the blood,*
„ *which they contain from the larger bran-*
„ *ches to the smaller it will be found to pass*
„ *out at the digested ends of the vessels, and ap-*
„ *pear like drops on the inner surface (h).*"

Hanc observationem quum fecisset in cadaveribus eorum, qui morbis succubuerant, longe ge aliis symptomatibus comitatis, quam quae tale vitium, si per vitam fuisset obortum, comitare debuissent, Dissolutionem hanc HUNTERUS a causa mortis alienam censuit; eo maxime persuasus, quod omnium frequentissime illorum ventriculos, qui sano corpore mortem violentam subierant, dissolutos inveniebat. Multa vero experimenta instituens in digestionem ciborum, idem vitium reperiit in animalibus, ita quidem, ut ventriculus ad eundem gradum dissolutionis, ac alimenta ipso contenta, redactus esset; inde collegit, *succi gastrici* actioni in tunicas *post mortem* hoc phaenomenon debere attribui; hae enim, cum antea viribus vitalibus sese ab illius liquoris actione incolumes servarent, iam iis orbatae, non ipsius vi resolventi, neque minus atque aliae substantiae mortuae solubiles, resistere poterant.

§ 3.

(*h*) L. c. pag. 450 et 451.

§ 3.

Quamvis non credendum sit, pristinos Medicos hunc statum ventriculi abnormalem plane habuisse incognitum (*i*), tamen, sive postea revera saepius obvenerit, sive Medici hanc in rem attentiores fuerint, ex eo inde tempore, quo HUNTERUS observationem suam divulgavit, pluries observatum legimus.

In HARLES *Neues Journal des Ausländischen Medicinisch-Chirurgischen Litteratur*, Band 8. st. 5. pag. 10, legitur historia, a Doctiss. BALME communicata in *Journal de Medecine*, anno 1786, Perforationis spontaneae, repertae in cadavere infantis 5 annorum, qui ventriculi doloribus laborans, gravibus sub convulsioni-

(*i*) Doctiss. DELIUS in *Ephem. Natur. cur. Tom.* IX. *pag.* 295, casum referens morbi ventriculi, quo femina quaedam per aliquot annos laboraverat, tandemque fuerat defuncta, memorat, in cadavere ventriculum invenisse permagnum, vacuum, in fundo admodum mollem, tenuem et valde transparentem. — Hanc mollitiem non ab extensione esse repetendam probant quam plurima exempla ventriculorum, qui valde expansi sunt, retenta naturali consistentiâ.

nibus animam efflaverat: hic aderat foramen magnitudinis 3 pollicum, cuius margines facile attactu dilacerari poterant; quia, iuxta Auctorem, materia puriformi, putrida, non multum odorem spirante, dissolutae erant; dum simul nulla inveniebantur vestigia inflammationis. — Qui casus, sine dubio, ad nostrum morbum pertinet.

Doctiss. BELL memorat dissolutionem, qua tunicae indolem gelatinosam assumserant (*k*).

Etiam cl. SÖMMERING in infante ventriculum dissolutum reperiit (*l*).

Doctiss. A. BURNS narrat, se aliquoties ventriculum dissolutum invenisse, quaterque in infantibus totum tractum intestinorum, a cardia usque ad initium intestini recti, in massam glutinosam vidisse mutatum, in *Edinburgh. Medical and Surgical Journal*, Tom. VI. pag. 385 et seq.

In

(*k*) *Zergliederungen des Menschlichen Körpers, Band I. Stuck* 41., et Doctiss. VOIGTEL, *Handbuch der Pathologischen Anatomie. Tom. II. p.* 468.

(*l*) Doctiss. VOIGTEL, l. c.

In opusculo quodam: *Beobachtungen über die Ruhr, welche in Russischen Feldzug* 1812, *in der vereinigten Armée herschte, Auctore* CAROLO VON DILANIUS, 1817, quod insertum in *Medicinische-Chirurgische Zeitung von* EHRARD, 1819. Tom. II. pag. 412., mentio fit Dissolutionis tunicarum ventriculi, inventae in plurimis cadaveribus defunctorum malignâ, tunc temporis epidemice inter copias foederatas grasfante, dysenteriâ, cum scorbutica humorum dissolutione complicata. Hanc autem alius, atque nostram naturae fuisse credimus.

Plures adhuc aliae observationes prostant, quas enumerare nimis longum foret; sufficiat notasse, tantum non omnes Auctores, praeeunte HUNTERO, dissolutionem habuisse effectum actionis succi gastrici *post mortem*; uti, inter alios, videre est apud Doctiss. KADE (*m*), Doc-

(*m*) *De morbis ventriculi ex materiei animalis mixtura formaque laesa explicandis*, *in Archief von* REIL *Band IV. pag.* 377.

Doctiss. BAILLIE (*n*), cl. CONRADI (*o*), cl. VETTER (*p*), Doctiss. VOIGTEL (*q*).

§ 4.

Nuperrime tractatus in lucem prodiit, sub titulo: *Uber die Erweichung des Magengrundes, oder die sogenannte Verdauung des Magens nach dem Tode*, Auctore Doctiss. JÄGER (*r*), in quo multi allegantur casus Macerationum, quas non ab actione succi gastrici *post mortem* repetendas esse, multis observationibus, cum ab ipso, tum ab aliis factis, dilucide probat vir ille Doctiss., sed a *virium vitalium* perversa agendi ratione suam trahere originem, singularemque sistere speciem morborum, quae propriis causis oritur, et peculiaribus symptomatibus comitata, plus minusve distincte ab aliis consimilibus dignoscitur. Experientiâ suâ haec confirmavit Doctiss. FLEISCHMAN, in opere: *Uber die Leichenoeffnung*, pag. 112: horumque virorum opinionem amplexus est cl. VOGEL, Macerationem inter morbos ventriculi enumerando in *Handbuch der Practischen Artzneywissenschaft*, Tom. VI, pag. 225.



---

(*n*) *Anatomie des Krankhaften Baues etc. pag.* 79.
(*o*) *Handbuch der Pathologischen Anat. p.* 125.
(*p*) *Aphorismen aus der Pathologie. p.* 172.
(*q*) *Handbuch der Pathol. Anatomie. Tom. II p* 468.
(*r*) HUFELAND'S *Journal u. s. w.* XXXII *Band. Stück* V. *p.* 1 *et* XXXVI *Band. Stück* I. *pag.* 15.

## CAPUT II.

### *Definitio et Symptomata.*

§ 5.

Sub titulo *Macerationis ventriculi* (*s*) intelligimus morbum peculiarem, maxime aetati infantili proprium, et adeo periculosum, ut longe plurimis in casibus lethalis dicendus sit. Consitstit in affectione tunicarum tubi intestinalis, dolore, vomitu, febre continua, convulsionibus, etc. stipata; quae id proprium habet, quod

(*s*) Sub titulo *Des Perforations spontanées de l' estomac. Paris, An.* 1812. plures morbos recensuit Doctisſ. GERARD, qui quidem in pluribus cum nostro morbo conveniunt, sed tamen natura diversi sunt: in illis enim perforatio vel ruptura tunicarum fere omnium symptomatum origo est, atque unica mortis subsequentis causa, in hoc etiam frequenter perforatio obtinet, at tanquam fortuita morbi sequela, quae abesse potest, morbo nihilominus immutato.

quod in tunicis singularem producat commutationem, qua simul in vasis secernentibus, loco blandi liquoris, succus acer gignitur, qui tunicas arripiendo efficit, ut ipsae post mortem structura organica orbatae, ac in materiam gelatinosam dissolutae vel transformatae deprehendantur. Est affectio sui generis, cui subeundae totus tractus intestinorum videtur obnoxius: praecipue vero obtinet in ventriculo, minus frequentur in intestinis tenuibus et crassis. Prostant tamen exempla intestinorum cum seorsim, tum simul cum ventriculo, eadem ratione affectorum. Haec autem diversa mali sedes tam exiguam differentiam in serie symptomatum facit, ut, quo loco lateat, durante vita non facile erui possit.

§ 6.

Aliquando morbus inopino oboritur cum appetitu prostrato, dolore et diarrhaeä; infantes eiulant, pedes abdomini attrahunt, et magna vexantur inquietudine; adest tensio aliqua abdominis, quod tamen attactu non dolet; interdum quoque nulla durities animadverti potest; sitis est ingens, manus ut et tota cutis ardent, pulsus est frequens, sed regularis; percipitur tussicula,

iam

iam sicca, iam humida. Hisce tandem vomitus superveniunt et magna virium prostratio: iam decubitus est in dorſo, eiulatus in suspiria transeunt, pulsus ſit parvus, irregularis, atque adeo celer, ut numerari nequeat; respiratio difficulter peragitur, facies ſit pallida, singulari modo turbata, oculi sunt depressi, cutis calorem amittit; ingrediuntur convulsiones variarum partium, oculorum, oris, brachiorum; accedit meteorismus, quem intra breve temporis spatium mors insequitur.

Alias per dies aliquot praegrediuntur diarrhaea, qua materiae aquosae, mucosae, virides aut amurcaceae eliminantur, diminuta ciborum appetentia, ardor manuum ac repetitus per longiora intervalla vomitus; tum etiam interdum abdomen quodam modo tensum est et attactu dolet, interdum tusſicula sicca auditur (*t*); tandem oritur dolor, aliaque memorata symptomata intrant, atque ita intra paucos dies vita cum morte commutatur.

Interim morbus in omni individuo ea symptomatum syndrome, quam mox enumeravimus, non semper comitatus est: non raro singula horum desiderantur, uti tussis, meteorismus, diarr-

(*t*) Vide *Journal von* HUFELAND, Band XXXII. Stuck V. pag. 11.

arrhaea, cuius in vicem iam pertinax alvi constipatio est: neque omnia semper eo ordine procedunt; sed saepe in diversis aegrotis, diverso morbi tempore proveniunt; quod praesertim valet de vomitu et convulsionibus. Hi, ceterum fere assidui morbi comites, apud quosdam aegrotantes ab initio, apud alios sub finem demum observantur (*u*). Ita quoque ratione singulorum vehementiae haud major est constantia.

In complicatione cum aliis morbis diversa, pro diverso morbo, symptomata, ut quisque intelligit, simul prodeunt. Hinc fit, ut aliquando vera Macerationis phaenomena magnam alterationem patiantur fereque obnubilentur. Luculentissimum huius rei exemplum praebet historia Macerationis cum Pleuro-peripneumonia complicatae, quae legitur in HUFELAND's *Journal der Practischen Heilkunde*, Band XXXVI. I stück, pag. 36. Maioris est momenti, quam ut memoratu indignam existimarem, ideoque capita ipsius afferam. Haec sunt;

In-

(*u*) Casum huius morbi refert Doct. FLEISCHMAN, in quo hebdomadas 8, ante ceterorum symptomatum ingressum, lenes oculorum et oris convulsiones adfuerant, quae, dum reliqua intrabant, continuo vehementia increverant.

Infans 11 menses nata, quae diu Pertussi laboraverat cum iteratis per intervalla accessibus febrilibus, respiratione angusta, tussicula etc, vix paulo refecta pertussim recidivam passa est; cui iterum post dies aliquot febris accessit, cum respiratione angusta et tussi sicca, quae Aegrotam in lamentationem adducebat; expirationem gemitus comitabantur; appetitus plane erat deiectus, alvus tarda, mucosa, cutis ardens; frequentes strangulationes aderant, sine vomitu subsequente, qui demum 6to die intrabat. Die 7mo respiratio ilico spastice coarctata accelerabatur, cum magna intensione omnium musculorum faciei et colli; brachia convulsive iactabantur; cutis sudore frigido erat tecta, pulsus, prae nimia celeritate, non numerari poterat; respiratio fiebat sonora, dum pituita videbantur infarcti pulmones. Post brevem intermissionem rediit insultus convulsivus, et tertia post ingressas convulsiones hora Aegrotans animam efflabat.

Praeter solitam ventriculi dissolutionem, sectio cadaveris praecipue sequentia prodidit: pulmo dexter erat induratus, pariete anteriori pleurae accreverat, saccus pleurae dextri lateris liquidi cuiusdam, puri diluto similis, magnam continebat quantitatem; pulmonis sinistri lo-

lobus inferior, quodam modo etiam induratus, diaphragmati adhaerebat, ipso diaphragmate hic loci maculis rubicundis notato.

§ 7.

Morbus vulgo acutae indolis est, ita ut intra 6 vel 9 dies decursum absolvere soleat; interdum etiam accidit, ut mors adhuc citius intret; raro in longum trahitur. Attamen non exempla desiderantur, quod ad 6 septimanas duraverit, qualem formam bis observare contigit Doctiss. JÄGER. Huius descriptionem dedit in *Journal von* HUFELAND, *Band* XXXII, *Stuck* 5, *pag.* 11 ubi sic loquitur:
„ *Die Krankheit — fing sich mit Fieber und einem*
„ *Durchfalle an, durch welchen eine mit der*
„ *Nahrung nicht in Verhältnisse stehende Men-*
„ *ge von schleimigen, oder auch breiartigen*
„ *Excrementen ausgeleert wurde. — Bald hierauf*
„ *gesellte sich ein Schleimhusten hinzu, welcher mit*
„ *einer krampfhaften Zusammenziehung des*
„ *Zwerchfells, und einem in Erbrechen übergehen-*
„ *den Würgen verbunden war Später stelte sich*
„ *das Erbrechen auch ohne Husten ein; die ü-*
„ *brigen Zufälle dauernten fort, und es fand sich*
„ *nun die Entstellung des Gesichts etc ein.*"

Hisce absolutis, § sequenti paucis verbis agen-

agendum erit de iis, quae in corporibus hocce morbo defunctorum inveniuntur.

§ 8.

Aperto cadavere pars illa intestinorum, in qua morbus sedem habuit, tenacitatem naturalem plane perdidisse deprehenditur, iam tunicae foramine sunt pertusae, aut, servata continuitate, leviori manipulatione disrumpuntur. Substantia earum revera transformationem subiit; evasit tumida, volumine aucta est, et mutata in materiem gelatinosam, subpellucidam, coloris ex albo cinerei vel cinereo rubicundi, atque adeo mollem, ut attactu sub digitis diffluat. Nonnunquam tunicae adhuc a se invicem separatae conspiciuntur; ubi autem dissolutio ad summam pervenerit, omnes, si exteriorem, (peritonaei propaginem) excipias, quae tamen valde attenuata, ceteras instar pelliculae tenuissimae tegit ac continuitatem servat, unam massam informem constituunt. Verum non ubique, in toto partis affectae ambitu, ista degeneratio aequales progressus fecit: uno puncto fastigium attigit, a quo, tanquam a centro in peripheriam, gradatim decrescit, singulis tunicis magis magisque naturalem conditionem ap-

pro-

propinquantibus, usque adeo donec omnes, praeter intimam, quae, maiori ambitu macerata, serius in sanam abit, soliditatem recuperaverunt. Sed e contra in maceratione fundi ventriculi (aliis in locis non observatur) crebro accidit, ut sanum ac morbosum non ita lente in se invicem confluant, ut hoc verbo utar, sed, linea quae saepe colore rubro conspicua est, inter ambo limitem quasi constituente, immutata proxime se contingant. Haecce linea aliquando oritur ad cardiam, arcumque maiorem transiens redit in locum e quo exiit, totum fundum a dextra parte ventriculi separans. Nonnunquam dissolutio propagata est in partes vicinas, peritonaeum eique subiacentes musculos, imo etiam in pleuram et pulmones.

Tunicae dissolutae, ut et mucus gelatinosus, semper in cavo visceris affecti obvius, ipsosque parietes obducens, acido quodam scatent, iuxta experimenta Doctiss. JÄGER, omnibus proprietatibus acidum aceticum referente. Ceterum tractus intestinorum vel in statu naturali est, vel multo aere distenditur, hic aut illic aliquando valde constrictus. Subinde quoque variis in locis inflammationis vestigia reperiuntur, non solummodo in intestinis, sed etiam in organis

dis-

dissitis, pulmonibus et cerebro, cuius integumenta vulgo vasculis sanguine turgidis referta et cavitates, quemadmodum in hydrocephalo acuto mortuis, aqua limpida repletae inveniuntur (v).

CA-

(v) Confer. *Journal von* HUFELAND, 1813. stuck. 5. pag. 18, 26, 33, 39, et Doctiss. FLEISCHMAN, *Leichenoefnung*, pag. 123. et seq.

## CAPUT III.

### *Causae et Natura.*

§ 9.

Causae morbi remotae aeque ac Natura caligine latent; quapropter de iis fere nihil certi affirmare posſumus. Interim conſtat, aetati infantili prae ceteris ad Macerationem esſe dispoſitionem. Potisſimum inter id aetatis homines iuniores corripiuntur, qui nondum tertium annum agunt; dum tamen etiam natu maiores haud prorsus ea immunes haberi posſunt. Notandum, quod tantum non omnes, quos morbus corripuit, infantes paulo ante lacte depulsi, ac dein iusculis carneis vel lacteis aliti fuerint. Ceterum hic morbus non magis sanis ac robustis, quam debilibus et valetudine adversa tentatis parcit.

§ 10.

Valde diversa est Auctorum de causa proxima Macerationis opinio. Omnes quidem succorum

se-

secretorum actionem in tunicas pro causa salutant, sed respectu conditionis corporis, qua iis ansa datur, ut vim exserere valeant, maxime dissentiunt: quippe alii *mortem*, alii *vitam* hanc esse conditionem iudicant; hi itaque pro morbosa accipiunt. — Principis inter prioris sententiae defensores, Doctiss. HUNTERI argumenta praecipua, pro sua opinione pugnantia, iam memoravi in capite Imo de Historia litteraria; ideo hic non ulterius locum inveniunt atque silentio praetermittuntur. Videamus autem necesse est, HUNTERI sententiam tam lato sensu non esse accipiendam, ut semper Dissolutio, quandocunque in corporibus occurrit, pro phaenomeno *post mortem* demum prodeunte haberi debeat, verum etiam aliquando cum *principio vitali* arcte cohaereat; quapropter memoranda sunt ea, quae ab hac parte in contrarium afferuntur.

1°. Quando ventriculus tali ratione, qualem praecedenti capite descripsimus, dissolutus invenitur, symptomata in morbo lethali observata sunt, gravem huius organi labem indicantia: ubi non adfuerint, aliorum organorum laesiones manifestationem impediverunt.

II°. Hocce vitium certam ac definitam morbi formam constituit, qua fit, ut Medicus iam durante vita praesagire valeat, post mortem sese illud esse inventurum.

III°. Actioni *succi gastrici* repugnat observatio dissolutionis intestinorum tenuium et crassorum, servata integritate ventriculi.

IV°. In ipsis locis dissolutis, iisque vicinis saepe manifesta sanguinis in substantia tunicarum effusi vestigia adsunt; fundus ventriculi dissolutus saepe linea rubra a parte sana limitatur: quae omnia non ab actione mere chemica derivanda, clare vim vitalem ostentant.

V°. Hisce addi potest, tam exiguo a morte intervallo institutas fuisse cadaverum sectiones (post 20 horas), ut membranae intra id temporis spatium a succo gastrico ordinario non dissolvi potuissent.

Quodsi haec argumenta perpendamus, adeo valentia apparent, ut non dubium relinquant, quin Dissolutio, de qua hic agitur, revera cum vitae actionibus cohaereat. Male vero inde esse concludendum, dissolutionem tunicarum, et quidem *ventriculi*, semper inter morbos pertinere, quisquis gravissimas, quas HUNTERUS attulit, rationes paulo attentiori animo per-

perpenderit, facile perspiciet; nam quomodo explicandum, ut hunc unum in exemplum assumam, inter tot casus, quot HUNTERO fuere obvii, ne unum quidem dari, in quo durante vita vitii huius symptomata observata sunt, dum in casu nostro signa eius sint evidentissima, quomodo, inquam, hoc explicandum, nisi statuamus, id demum cum morte obortum fuisse? Taceam ceteras rationes, quae me adeo convincunt, ut de HUNTERI sententiae veritate nequaquam dubitem: neque longe absum quin credam, et in nostro morbo dissolutionem non prius quam mortem, aut partialem, aut universalem, ingredi; atque eam HUNTERI dissolutioni cum Nostra intercedere differentiam, quod causa utriusque posita sit in diversis ac propriis cuique materiei tunicarum et succorum solventium mutationibus qualitativis, quae in illa pendent a sola virium vitalium privatione, in hac effectus morbosi sunt. In hanc opinionem eo maiore iure discedere licet, quum dissolutionum utriusque generis descriptiones, secum invicem comparatae, haud exiguum discrimen ostendant: monet enim HUNTERUS, tunicas evasisse tenuiores, pulposas, carni semi digestae similes; nos e contra § 8

vidimus, tunicas esse turgidas, volumine auctas, et mutatas in veram gelatinam.

Iam transeamus ad tradendas opiniones, quas Auctores de Maceratione qua morbo favent.

§ II.

Multa equidem de Natura huius morbi proponi possunt, tamen, cum illa tam alte tenebris lateat, pauca tantum certa sunt. Igitur ne novas hypotheses hijpothesibus adiungam, solummodo ab Aliis notata referam, quaeque inter ea veritati minus consentanea videntur, pro viribus refutare conabor.

Inter Auctores, a quibus accuratius in Naturam morbi est indagatum, praeprimis nominari debent Viri Doctiss. FLEISCHMAN et JÄGER. Prior horum statuit, lienem, quem credit in hoc morbo semper esse vitiosum, ad originem Macerationis suam symbolam conferre. Nititur Auctor Antithesi, quae pessumdata morbi occasionem praebet. Qua in re demonstranda ita procedit: „Certum est," inquit, „dari antithesin inter membranam mucosam ventriculi et lienem. Hic *hydrogenium* cumulat, illa *oxygenium*. Oxygenium potenter resolvit. Lien,

en, cita carbonei cum oxygenio coniunctione, facit sanguinem arteriosum mutari in venosum. Irritabilitate quasi electrica in arteriam lienalem agente, in ramis ejusdem lienalibus formatio *hydrogenii*, (*wordt die Hydrogeenbildung culminirt*) in vasis brevibus *oxygenii* obtinet. Ambo se habent ut *lagenae leidenses*. Antithesi sublata, *primo* dynamica membranae mucosae integritas pessumdatur, *secundo* oxygenium in succo gastrico liberum evadit, superoxygenatio producitur, ejusque liquoris major solvendi vis, nec non abundantia oxygenii in ipsis tunicis.— Ventriculus igitur dissolvitur, si illud menstruum agit in hoc organon adeo dispositum, et in reactione sua debilitatum. Non sola vero succi gastrici acrimonia ad dissolutionem producendam sufficit, quod ex aliis casibus patet, ubi, absque ulla simili desorganisatione, acor insignis adest; sed qualitativa tunicarum ventriculi Vitalitatis mutatio, qua fiat, ut ille ceu chemicum Agens hasce dissolvere possit, accedat necesse est." Haec autem argumentatio magna pro parte firmitate caret: plura enim, ne de Antitheseos existentia dubitem, in ea offenduntur, quae, collatis omnibus, sibi non congruunt. Omnis quippe antitheseos, inter bina haec organa vi-

 gen-

gentis, notio, ni gravissime fallor, petitur e diversis aquae principiis, quae utrumque diversa possidet, oxygenio et hydrogenio: traditur hoc sanguini lienali, illud succo gastrico. Hac principiorum diversitate dicta organa in antithesi posita dicuntur. Quamdiu igitur antithesis viget, tamdiu principia, quibus nititur, adsint necesse est; et sic contra, ubi eorumdem evolutio aut formatio cessat, cum iis omnis notio antitheseos evanescit; namque haec in illorum absentia non adesse, aut praesentia non abesse potest, uti credit. Doctisf. FLEISCHMANNUS. Quum porro hydrogenii et oxygenii formatio omnino (iuxta hanc theoriam) cum naturae institutis conveniat, hinc organorum rectam requirat conditionem, haud facile est intellectu, quaenam detur relatio ventriculi debilitatem inter et abundantiam oxygenii in succo gastrico; siquidem hic inde acquisivit maiorem solvendi vim; quod certe, cum vis ea solvens non inter postremas istius liquoris virtutes ponenda sit, potius *auctas* esse vires secernentes indicat. Ceterum Dissolutio tam ventriculi quam intestinorum eiusmodi explicationis, quam dedit Doctisf. Auctor, capax est; interim mihi nimis hypothetica videtur, quam ut assumere possim.

Non

Non prorsus dissimilem opinionem fovet Doctiss. JÄGER. Causam vero vitalitatis mutatae atque acoris succi gastrici vel enterici quaerit in nervorum peculiari affectione locali, ab ipso *Paralysis* dicta, qua secretiones intestinorum, eorumque reactio in contenta immutantur; unde nimia quantitate acidum aceticum producitur, quod, chemica ratione agendo, et quando iam secretum est, et quando adhuc intra vasa secernentia continetur, morbum suscitat. Huius acidi momentum in hoc morbo cum ex assidua eius praesentia in Macerationibus, quotquot harum casus ipsi fuere obvii, tum ex experimentis efficit, quae de industria cum acido acetico instituit, ut eius efficaciam in membranis dissolvendis exploratam haberet: e quibus didicit, integros ventriculos infantum acido acetico expositos simili fere modo ac in Maceratione mutari. Quae si perpendamus, unaque consideremus, et alia acida, Sulphuricum, sed praesertim Nitricum, ingesta saepe similes producere effectus, certe eximio illi morbi huius Observatori assentiri oportet, acidum hic esse summi momenti. Verum enim vero ab altera parte, si consulamus historias Macerationum, quas Alii observaverunt, accipiamus necesse est, non ubique causam efficientem in acido esse positam; quod do-

cent casus No. 2, 3, 4, item cl. HEIMII Observationes, (w) nisi ſtatuere velimus, acidum per excremen-

---

(w) Hae observationes memorabiles, quamvis non directe nostrum morbum tangant, nihilominus ob plures rationes hic locum merentur. Cl. HEIMII narrationem paucis sequar. „ Est," inquit, „ morbus singularis intestinorum, praecipue crassorum, Medicis minus cognitus quam quidem meretur. Hic morbus ter mihi occurrit, bis in viris, semel in femina: consistit in eo, quod intestina craſſa cum parte aliqua tenuium, iis affinium, excrementis compactis perquam distenta sint; — per plures menses, imo per annum durat, subinde doloribus gravissimis, vix remediis leniendis, ſtipatus. Primus aegrotantium, vir morosae indolis, 40 et quod excurit annos natus, abdomen tumidum habebat, in quo non aqua, sed frusta dura sentiebantur; alvus erat dura, imo fortissimis adhibitis Laxantibus et Clysmatibus ne quidem sedes bonae sequebantur; — dolores erant gravissimi. — Aegroto defuncto, instituta cadaveris Sectione omnia intestina sana inveniebantur, praeter crassa et partem aliquam ilei: haec triplo magis quam in statu naturali expansa erant et adeo mollia, (miirbe) ut corpore promta rupta sint, farciminis instar excrementis cohaerentibus farta. — Tunicae maiorem naturali crassitudinem habebant, spongiosae erant, et soliditate et elasticitate orbatae — excrementa erant coloris cinerei, ino-

menta ligatum vel decompositum fuisse.

Sed a quibuscunque causis tunicae dessolvi possint; sive praeter acrimoniam acidam alii succi gastrici vel enterici acores dentur, qui earum destructionem et emollitionem efficere valeant; sive ea destructio, quemadmodum gangraena inflammationis, morbi peculiaris intestinorum sequela esse possit, cuius ortui succi secreti nihil contribuunt, aut denique adhuc aliae causae ei faveant, credimus cum Doctiss. JÄGERO, illi Macerationi, quae sub ea forma, quam descripsimus, obvenit, acidum proprium esse, quod, si non causam morbi efficientem sistat, saltem tunicas in materiem gelatinosam commutat. Cum

---

inolentia. — Altera, Matrona 42 annos nata, post gravem animi affectionem eundem morbum contraxerat. — Tumor abdominis, doloresque gravissimi, quibus iam per menses fuerat vexata, suspicionem graviditatis extra uterinae movebant. — Coecum, quod valde prominebat, caput infantis videbatur, et portio intestini tenuis brachium aut pes. Mortua hac femina, sectio cadaveris eadem intestina et excrementa ac in casu praecedente ostendit; cetera sana erant."

HEIMII, *Erfahr. und Bemerk. über Schwangerschaften ausserhalb der Gebärmutter*, in HORN'S *Archief fur Med. Erfahr.* 1812, p. 16.

Cum Doctiss. JÄGER in multis cadaveribus infantum hoc morbo extinctorum observaverat, simul in capite insignem adfuisse seri colluviem, statuit dari vinculum quoddam inter Hydrocephalum et ventriculi Macerationem, ita ut talis affectio morbosa capitis, quasi per legem oppositionis, talem efficeret vis vitalis mutationem in ipso ventriculo, qua huic dissolutioni ansa datur. — Quamvis haudquaquam sit diffitendum, et a JÄGERO et etiam ab aliis Auctoribus simul utraque haec vitia in uno eodemque infante fuisse observata, tamen etiam haec Maceratio ab aliis et quidem a Doctiss. FLEISCHMAN, in libro memorato, pag. 125, § 34, accurate est descripta, interque alia quoque illud notatum: nullam aquae colluviem in cerebro fuisse inventam. Probabile itaque videtur, haec vitia, si simul adsint, originem trahere a causa quadam morbosa magis universali, quam quod statuamus, ventriculi Macerationem a cerebri conditione hydropica esse derivandam; quod ultimum si verum foret, ventriculi Maceratio haudquaquam tam rara esse posset, cum, uti constat, perplures infantes Hydrocephalo interno corripiantur et e vita tollantur.

C A-

# CAPUT IV.

## *Diagnosis et Prognosis.*

§ 12.

Macerationis ventriculi diagnosis multis in casibus difficulter acquiritur: nonnunquam aliorum morborum faciem adeo simulat, ut vix ab iis distingui possit: praesertim, quando cum vitiis organorum vicinorum complicationem subiit, aegre cognoscitur; ac non raro demum, vita exstincta, cadaveris sectione palam fit. Morbi, quibus cum facile confunditur, sunt:

I. *Hydrocephalus acutus*; a quo differt sequentibus:

*a.* Successione symptomatum, quae in Maceratione Ventriculi minus regularis est: aliqua horum incerto morbi tempore apparent, uti vomitus et convulsiones, in Hydrocephalo acuto iam primo stadio ingredientia. In Maceratione ventriculi pulsus non, nisi circa finem, regularitatem amittit, in decursu morbi non lentescit, quemadmodum in illo morbo fieri solet; neque respiratio in fine adeo laeditur.

*b,*

*b.* Absentia doloris capitis, stridoris dentium, oculi sensilitatis, qua hic admota luce constringitur.

*c.* In extremo vitae convulsiones in Hydrocephalo longe sunt graviores: saepe in uno latere artus concutiuntur, dum in altero paralytici sint; saepe etiam opisthotonus advenit: quae omnia in nostro morbo non ita observantur.

II. Sic dictae *Perforationes Spontaneae*, Vide § 5 in Nota. Notandum vero:

*a.* Quod vulgo accidant in hominibus provectioris aetatis.

*b.* Quod in iis dolores sint vehementissimi, vires ilico pessumdantes; pulsus ab initio parvus sit et celerrimus.

III. *Inflammatio ventriculi ac intestinorum*; a qua distinguitur:

*a.* Absentia tumoris et tensionis abdominis, et manu tangendo nullum doloris augmentum percipitur. Si vero, ut interdum fit, aliter se res habeat, leviori tantum gradu ista symptomata adsunt, neque, habita ratione reliquorum, morbi vehementiae respondent.

*b.* Pulsu, in Maceratione non parvo, aequali,

li; hic desunt singultus extremitatumque frigus, quae omnia Inflammationem comitari solent.

IV. *Cholera:* haec autem spasmis gravissimis, pulsu vario, vomitu cito cum diarrhaea alternante stipatur, atque vulgo autumni soboles est.

V. A *Colica et Cardialgia* potissimum praesentia febris internoscitur.

VI. In initio, cum saepe sedes virides praegrediantur, facile Maceratio pro Acido primarum viarum salutatur; attamen ceterorum symptomatum ingressu differentia satis clara fit.

## § 13.

Prognosis valde infausta est dicenda: quoties enim acuta indole praeditus morbus obveniit, toties, curatione incassum tentata, fatalem exitum cepit. Felicior videtur eventus, si lentiori gradu progreditur; quando aliquoties sanationem adduxisse putat Doctiss. JÄGER. Semel etiam se feliciter curam instituisse testatur Doctiss. PITSCHAFT, Medicus Bonfeldiensis, in Diario HUFELANDII, 1818, stück 6, Mensis Decembris, pag. 85.

## CAPUT V.

### *Curatio.*

§ 14.

Varia remedia, e diversa clasſe petita, ad curandum morbum tentavit Doctisſ. JÄGER: *interne* Alcalia, Opium, Flores Zinci, Mosſchum, Gas Acidum carbonicum, Aromata volatilia et fixa; *externe* Sinapismos, Vesicantia, Frictiones aromaticas, spirituosas in abdomine; sed omnia optato successu caruerunt, paucis exceptis casibus, ubi morbus lentum observabat decursum. In his cum successu adhibuit Mixturam constantem e Tr. Rhei aquosa, Extr. Pom. Aur. immaturorum, Oleo Tart. per deliquium, Syr. Diacod. et Aqua Foeniculi, mutato simul regimine infantum, iis, ante morbi ingressum, ablactatis aut nutricem reddendo, aut pro potu quotidiano exhibendo Infusum Nucum Iuglandium, quod tanquam egregium hic medicamentum laudat.

Doctiss. PITSCHAFT experientia doctus, acida mineralia efficax Acidi primarum viarum praestare auxilium, eorumdem usum in Dis-

Maceratione ventriculi valde commendat, quam ope *Elixiris Acidi* HALLERI semel curavisse asserit. Posthac nulla amplius oblata occasione remedii huius virtutem non probare potuit. Res sane momentosa, Medicorum attentione dignissima!

Si et meam de cura dicere liceat opinionem, ea ratione a Medico procedendum esse arbitror, ut respectum habeat diversae aegrotantium constitutionis, pro qua *debilitando* vel *excitando* agat, prouti haec aut *sthenica* sit aut *asthenica:* quum enim plane causas habeamus incognitas, illa Methodus dux optima est, quam tuto sequi possumus. Hinc in constitutione robusta, plethorica Medicamenta emollientia suaderem, uti Emulsiones Amygdalarum, Gummi Tragacanthae, Gummi Arabici, decocta Rad. Salep, Rad. Althaeae, quibuscum, si expediat, Antacida coniunguntur, quorum hic optima existimarem Lapides Cancrorum, utpote principio emolliente praeditos: *externe* parcae sanguinis missiones instituendae essent per hirudines, in regione ventriculi applicitas, aliaque quae huic medendi rationi accommodata sunt. E contra tum Excitantia ac Roborantia convenirent, cum in decursu morbi virium collapsus insequitur, vel aeger constitutionis debilis est;

C quan-

quando, uti quisque facile intelligit, iam ab ipso initio haec eadem Medicamina subministranda sunt.

Summa ignorantia, in qua versamur circa causas Macerationis, eiusdemque historiarum paucitas me plus disserere vetant, quarum tamen numerum hisce sequentibus augere mihi licuit tam a Praeceptore meo aestumatissimo Cl. E. J. THOMASSEN à THUESSINK, quam a Viro Doct. J. BAART DE LA FAILLE communicatis; pro qua benevolentia ac favore maximas ago gratias. Multa interim in hoc opusculo desiderantur. Id autem, quantumvis imperfectum, si Medicorum attentioni in hunc morbum ulterius suscitandae inserviat, proposito, quo solum conscriptum est, satis faciet.

## CASUS I.

Puella 3 mensium, ex sanis ac vegetis parentibus prognata, lacte sanae nutricis, sed simul quoque pulte ex pane biscocto et lacte parata, nutrita, per aliquot iam dies flatibus et torminibus fuerat vexata et viridia deiecerat. Die 8 Ian. an. 1791, cum mane flatus increscerent, et subito aegrota convulsionibus esset correpta, parentes consilium inierunt Viri cl. THUESSINK. Qui, cum illam visitaret, convulsionibus et spasmis, ut vocant, internis (inwendige stuipen) correptam deprehendit: oculi erant contorti, facies valde pallida, os spumans; ventriculus ut et abdomen prominula et tensa.

Suspicans hic indigestionem a nimia repletione cl. THUESSINK praecepit pulveres sequentes:

℞. *Pulv. Rad. Rhei gr. XXIV.*
—— —— *Ipecac. gr. IV.*
*f. Pulv. N°. VIII.*
S. *Omni bihorio Pulvis.*

Simul etiam Enema applicari iussit.

Vesperi Aegrota non vomuerat a pulveribus, sed sedes habuerat plures virides; continuabant convulsiones. Interim, inscio cl. THUESSINK, aqua quaedam antispasmodica exhibita erat.

Praecepit Ille Enema ex Aq. Coct. ℥IV et Tinct. Asae foet. ʒII: interne Mixturam ex

℞. *Sp. C. C. gt. XV.*
*Aq. Naph.*
*— Rutae a ℥ ʒ.*
*Pulv. Marchionis ℈I.*
*Syr. Paeon. ℥ ʒ.*
*M.*

*S. Omni horâ cochlear.*

9. Convulsiones, et maxime internae, non interruptae per totam noctem continuaverant; abdomen valde tumidum erat et inflatum; nulla deglutitio; infans algebat, et pulsatio in carpo non amplius percipiebatur. Tunc successive columbae quatuor vivae ano infantis apponebantur, ita ut haec illi columbarum responderet, eo effectu, ut convulsiones singulas columbas statim trucidaverint, et infantem reliquerint: sed quies brevis erat; mox enim redibant. Cl. THUESSINK iam fotum e vino calido rhenano abdomini apponi curavit.

10. Aegrota, spasmis continuantibus, mane obiit. Postridie sectio cadaveris facta est. Abdomine aperto, cl. THUESSINK intestina aere valde distenta vidit; colon transversum curvatura sua sinistra lieni, et ab inferiori parte peritonaeo erat accretum, ventriculus valde distentus, ac pylorus annuli loco in

tu.

tubum crassum protrusus. — Ventriculo aperto insignis quantitas materiae nigrae, limpidae, atramentariae ex eo profluebat, quae tunicam villosam adeo corroserat, ut ventriculus multis foraminibus esset pertusus: etiam intestina tenuia eandem materiam continebant; sed crassa vacua erant: reliqua viscera in statu naturali deprehendebantur. Ventriculus tantam mollitiem acquisiverat, ut facile se dilacerari pateretur.

## CASUS II.

I. V. D. H. Puer, annorum $2\frac{1}{2}$, cui per 16 menses ubera admoverat mater, et dein omne alimentorum genus; qui, raro morbo vexatus, sanam corporis habebat conditionem, et ingenium precox; — die 18 Aprilis 1819 subito fastidium monstrabat ciborum et levem febriculam, cum alvo dura. Sequenti die aegrum visitans (*) inveniebam sat valida laborantem febre, cum celeri respiratione, genis rubris, et praeter modum tumido abdomine, omnem Tympanitidis prae se ferente faciem. Cum etiam per biduum non adfuerant sedes, praescribebam Inf. Mannae cum Sulph. Pot. Sulph. et Extr. Gram., et simul abdomini imponebantur tres hirudines, quae, forte quoque ob maiorem systematis arteriosi actionem, multum sanguinem sustulerunt; ita ut febris evaderet mitior, et abdomen multo minus tensum; dum etiam tres adfuerant sedes, cum flatibus: manebat tamen adhuc insolita durities et tumor, verum absque dolore ad attac-

tum;

(*) Qui iam et in sequentibus casibus loquitur, est Doct. J. B. DE LA FAILLE.

tum; quam ob rem die 22bis vel ter de die abdomen infricari iubebam unguento ex ung. Altheae ℥I et Caphurae ℈I, cuius usum autem sequebatur vomituritio, maior exacerbatio febrilis, et ventris dolor; hinc, seposito unguento, iterum 3 hirudines applicabantur, quando haec symptomata evanescebant, et abdomen volumine diminuebatur; aderat tamen adhuc febris.

℞. *Aq. Hord.* ℥IV.
*Nitr. Pot. dep. gr. XV.*
*Sulph. Pot. Sulph.* ʒI.
*Syr. diacod.* ℥ß.
*M. D. S, omni hora cochlearculum.*

Et, quia praeter superstitem tumorem continuo flatus in abdomine remanebant, die 1 Maji iterum adhibui unguent. die 22 Apr. praescriptum; et brevi pristinam sanitatem recuperasse videbatur infans.

Die 10 autem Maji redibat febris, cum eodem ventris tumore, eiusque duritie, et alvo dura; quare die 11 abdomini 4 hirudines applicabantur; et sequenti die similem ac diei 24 Aprilis praescribebam mixturam, cum additis gr. X Nitr. Pot. dep.; quando omnia iterum in melius vergebant, praeter aliquem abdominis durum tumorem, qui cito etiam tollebatur Emplastro magn poll. VIII et VI ex Empl. Gummos. ℥I, cum Caphurae ℈I.

Pristina nunc etiam redierat hilaritas, cum die 30 Maii subito iterum febris adveniebat, cum gravi et con-

continuo vomitu materiae viridis, et simul diarrhaea, cum signis doloris. Notandum, hoc tempore pluvioso et calido plures infantes cholera fuisse adfectos; adeoque idem malum hic suspicans, sequentem praescripsi formulam.

℞. *Aq. Hord.* ℥III.
*Nitr. Pot. dep. gr.* XV.
*Syr. Diacod.* ʒVI.
—— *Rub. id.* ℥ß.
M. D. S. *omni hora* ½ *cochlear.*

Emendabatur nunc quidem eius conditio; verum sensim redibat Tympanitis, cum abdominis ardore et vomitu, ac simul cum Febre; quare die 6 Junii 4 iterum applicabantur hirudines, quae postlargam sanguinis evacuationem paulum quidem levabant, non vero diarrhaeam, vomitum aut dolorem tollebant. Suadebam nunc tenuem solutionem Rad. Salep cum Syr. Diacod, qua vomitus et diarrhaea silebant, non vero tumor abdominis et durities; ita ut die 11 Junii tres de novo applicarentur hirudines, quibus per trihorium quidem sanguis excernebatur, parum vero mutabatur conditio ventris, dum aegri debilitas increscebat, qui nihil fere assumebat nutrimenti, et semper decubitum servabat supinum, et talem alii videbatur praeferre: febris non valida, pulsus ordinario 85 vel 90, somnus modicus: per intervalla hilaris erat et ridebat, dum dolor plane nunc aberat; sedes parcae, biduo

vel triduo semel. Die 13 Junii vomitus redibat vehementior, verum absque molestia; neque umquam evacuata materies odore vel aliis signis acidam monstrabat naturam. Nunc autem ad attactum paulo magis dolere videbatur abdomen. Balnea nunc calida bis de die, et simul cataplasmata tentabam resolventia anodyna ex Hb. Hyoscyam et Hb. Cicutae cum Farin. Lini, et praescribebam:

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ʒVI.
*Vitelli ovi.* N°. I.
*Aq. Fl. Naph.* ℥IV.
*Nitr. Pot. dep.* ℈I.
*Syr. Diacod.* ʒVI.
M. D. S. *omni hora ½ cochlear.*

Neque et nunc mutabatur aegri status, dum fere omnia, quae assumebat, evomebantur. Consulebam nunc virum Cl. BUSCH, qui felici et ampla, per 50 annos protracta, praxi meritam famae celebritatem acquisivit; neque et ille primo in praescriptis medicamentis mutationem proponebat; verum, die 20, linteamina Sp. Vini madida abdomini imponere, et, ob auctam debilitatem, administrare cardiacum suadebat.

℞. *Aq. Foenic.* ℥III.
*Aeth. Nitr. Alc.* ʒI.
*Caphurae gr.* II.
*Syr. Rub. id.* ʒX.
*M. D. S. omni ½ hora cochlearculum.*

Et

Et die 22 Junii Linimentum sequens, quo infricaretur abdomen.

℞. *Ung. Alth.* ℥ß.
*Ol. Laurin.* ʒIII.
*Caphurae* ʒ ß.
*m.*

Quod in initio paulum levare videbatur, dum multi evacuabantur flatus; et etiam post usum mixturae primo vomitus cessabat, sed tantum ad diem sequentem 23. Valde interea debilitas augebatur et emaciatio, quamvis raro adesset febris; in insigne volumen extendebatur totum abdomen, nullum autem indicium doloris; dum et quieto utebatur somno.

Die 24 sequens praescribebatur.

℞. *Aq. Fl. Naph.* ℥III.
*Aeth. nitr. alc.* ʒII.
*Caphurae gr.* VI.
*Syr. Rub. Id.* ℥I.
*Sach. albi* ℥ß.
*M. D S. omni hora cochlear parvum.*

Omnia in eodem statu manebant.

Die 26 addebatur adhuc Caphurae ʒ ß. unguento die 22 praecripto, et linteaminibus Sp. Vini madidis semper adhuc venter tegebatur: sensim autem magis adhuc augebatur eius volumen ultra modum;

 et

et tandem etiam miser infans respuebat medicamenta, quae semper hucdum bene assumserat. Vires nunc in dies magis magisque imminuebantur, continuante vomitu materiae, quae nunc brunnea evadebat, uti Infus. coffeae; regurgitatio semper locum habebat, et superveniebat nonnumquam singultus: — corpus summe erat emaciatum; vires omnino deiectae, facies lurida colore subflavo hic et illictincta, oculi cavi, buccae et tempora collapsa, livida; semper vero sui compos manebat infans, neque et nunc doloris edebat signum, imo ad attactum etiam valde tensi abdominis. Die 18 praescribebatur Emplastrum magn. poll. IX et VII super alutam ex Empl. Gummoso et Empl. As. foetid. aa part. aeq. et Guttulae interea propinabantur ex Aq. Lauro Cer. et Aeth. nitr. alcoh.; nulla autem emendatio.

Ut deplorandam aegri conditionem, quantum fieri posset, adhuc levare tentarem, proponebam, ut tubus vacuus et clausus ano introduceretur, cuius embolus intra intestinum rectum extrahebatur; qua operatione quater de die iterata insignis aëris, in intestinis contenti, quantitas et simul materiae faeculentae evacuabantur; valde quam subsidebat abdomen, brevi autem in pristinum redibat statum. — Die 29 vesperi leves convulsiones, dum vomitus nunc plane cessabat, et omnia retinebat aeger, donec die 30 ad meridiem miseram eius vitam cum morte commutavit.

Sequenti die cadaveris valde emaciati abdomine aper-

perto, tres circiter unciae, et quod excedit, seri flavi effluxerunt: – Peritonaeum hic illic erat subinflammatum; intestina, praecipue colon, ad insigne volumen aere distenta, et tenuia cum omento concreta; glandulae meseraicae durae, hepar, lien, aliaeque partes, sine vitio; etiam Ventriculus nullibi inflamatus, et quoad colorem sanus, praeter partem anteriorem infimam cardiae, quo loco, colorem lividum ostendente, foramen ad pollicum fere duorum longitudinem in conspectum venit, margine subrubro praeditum, dum ventriculi substantia ibi quasi exesa videbatur, et in fimbrias transiens. Ex dicto hoc foramine materies pultacea, brunnea (qua ceterum ventriculus erat repletus) striis ubique sanguineis commixta, super pancreas, lien, et partes abdominis inferiores erat dispersa. Si porro illa ventriculi pars cardiaca digitis attingebatur, eius portio anterior et superior ad magnitudinem circiter 4 pollicum statim in rimas fimbriasque secedebat, uti charta bibula madida. Ceterum pars pylorica sana; neque ulla intestinorum portio eam macerationem vel peculiarem dissolutionem ostendebat.

## CASUS III.

G. E. K. Puella, menses 13 nata, quae illibata semper gavisa fuerat sanitate, numquam fere dentitione, convulsionibus, aliisve morbis infantilibus laesa; quaeque iam cum Matre ex Hollandia ante 4 septimanas Groningam petierat; — die 7 Julii anni 1819, tempore quando

hic

hic illic cholera morbus se manifestabat, paulum incipiebat aegrotare, postrato nempe appetitu, vomitu, diarrhaea et febricula; quae tamen symptomata sequentibus diebus iterum maxima pro parte evanuerant, quando iterum sub dio sereno pristinam hilaritatem aliquo modo videbatur recuperasse, non vero appetitum. Diarrhaea autem fortior nocte diëi 9 redibat, et 10 etiam, cum alternato pallore et rubore genarum, ac universali lassitudine cum febre: evacuata materies grisei erat coloris vel flavescentis, et non magnum spargebat odorem; abdomen erat flaccidum, et ad attactum non dolebat. Die 10 cl. BUSCH in consilium vocato, praescriptum est:

℞. *Aq. Tiliae* ℥ II.
*Magn. ust.* ʒ ʒ.
*Syr. Diacod.*
— *Alth.* á ʒ II.
*M. D. S. omni bihorio cochlearculum.*

Quo sumto, iam vesperi paulo melius se habere videbatur; per intervalla somno indulgebat, et die etiam 11 petebat et assumebat parum nutrimenti. Nunc vero mane diarrhaea redibat, et simul continua nausea et vomituritio, quae in vomitum transibat, ita ut vesperi diëi 11 jam omnia evomeret, quae assumebantur, etiam potulenta, verum absque ulla difficultate vel molestia; dum peculiare prodibat corporis, praecipue extremitatum et faciëi frigus. Prae-

scrip-

scriptam nunc potionem Salep cum Syr Diacod. omnino respuebat; quare versus noctem advocatus praescribebam solum Syr. Diacod. — Per intervalla somnus; mane autem aucta sitis; quare propinabatur serum lactis, cerevisia tenuis, decoctum hordei, similiaque, quae autem saepe etiam rejiciebantur, dum maior evadere videbatur anxietas. Hanc ob rem die 12 praescribebantur pulveres, singuli continentes ¼ gran. oxyd. Zinci; et simul Empl. aromat. super alutam tenuissimam extensum magn. poll. 4 imponebatur ventriculo. Pulsus ordinario nunc erat celer, sed exilis; decubitum servabat aegra supinum absque ulla molestia, imo hunc situm prae alio eligebat. Post meridiem diarrhaea et vomitus frequentiores insequebantur, exacerbatio febris et inquietudo, qua omnis fere arcebatur somnus, dum per intervalla vehementes edebat clamores, non diu vero durantes, quamvis et nunc abdomen attactu nequaquam doleret: oculi profundius in capite videbantur locati, frigus illud marmoreum, inprimis extremitatum et faciëi perdurabat semper, licet etiam, per intervalla aliquo sudore tectae essent nonnullae corporis partes. Nocte pulsus evadebat celerrimus, et saepe etiam leves conspiciebantur convulsiones: potum nunc recusabat, sed nonnumquam per aliquot minuta somno poterat indulgere: hora autem 5 matutina magna anxietas, vomituritio, sudor frigidus, viscidus, decubitus supinus, ita ut situm erectum, et quemcumque motum recusaret, dum pulsus vix poterat sentiri: — praescribebam adhuc: ℞.

℞. *Aq. Fl. Naph.* ℥I.
*Aeth. nitr. alc. gtt.* XV.
*Tinct. C. C. Succin. gtt.* XXX.
*Syr. Rub. id.* ʒ III.
*M. D. S. omni ½ hora cochlearculum.*

Cuius autem Mixturae parum vel nihil potuit assumere, cum hora fere 8 matutina moriebatur.

Sequenti die sectionem instituimus cadaveris, cuius abdomen primo investigavimus. Peritonaeum, omentum, ceteraeque partes, quae statim visui se offerebant, rite erant constitutae; in intestinis autem hic illic plagae parvae gangraenosae, — ventriculus etiam externe naturalem exhibebat colorem et habitum; verum eius media et praecipue postica pars, dimidiam quidem totius ventriculi efficiens, fortuito attacta, eadem exhibebat phaenomena, excepto foramine, ac in praecedenti casu retulimus, eandem nempe macerationem et teneritatem texturae ventriculi, cuius portio attacta statim rimas agebat et in fimbrias exibat: — materies in ventriculo contenta nulla aciditatis manifestabat signa. Effusio ceterum non aderat: neque et in aliis abdoninis partibus ullum detegi poterat vitium.

## C A S U S IV.

Die 22 Julii anni 1819 mane arcessitus ad Nautam, qui illo die ex Leovardia huc advenerat, in navicula inveniebam eius Filium L. I. 5½ ann., qui ant-

antea multum scrofulis laboraverat, raro autem alio morbo.

Hic puer, ex Patris narratione, 10 abhinc diebus in Frisia aegrotare inceperat, cum prostratione nempe appetitus, vomituritione, diarrhaea, similibusque; quae, uti credebant, ab usu fructuum refrigerantium orta, debellabantur emetico, quo evacuata erat quaedam muci et bilis quantitas, non autem sanatum malum; in eodem enim statu manserant vomitus et diarrhaea: quare tunc Medicus dederat Potiones lubricantes.

Sequentia nunc symptomata mihi obveniebant: Facies livida erat et valde collapsa; oculi cavi; pupilla valde dilatata; lingua crusta albida obsessa; abdomen non tumidum, neque dolorificum in regione ventriculi, pulsus parvus, celer, frigus intensum extremitatum et faciei; semper in dorso decumbere volebat, occipite ad nucham retracto; omnia assumta vomitu statim rejiciebantur: per diarrhaeam evacuabatur materies ex albido lutea, valde fetens: nullus somnus, et per intervalla convulsiones.

Ex relatis in binis anterioribus casibus signis, nunc in hoc aegro idem suspicabar vitium, ventriculi nempe illam macerationem: et hinc, tentare cupiens, quid hic efficerent mercurialia cum opio, et simul derivantia, praescribebam sequentes pulveres:

℞. *Mur. hydr. oxyd. gr.* III.
*Opii dep. gr.* II.
*Lapid. Cancr.* ʒI.
*Sach. alb.* ℈IV.
*M. F. Pulv. N°.* XII.
*D. S. omni hora Pulvis.*

Et simul vesicans Poll. 4 ventriculo imponebatur; cum Pediluviis calidis, et dein Epispasticis. — Nullam autem haec medicamenta efficere poterant mutationem; dum omnibus sensim adhuc auctis symptomatibus, vesperi illius diei moriebatur aeger.

Sequentis diei vesperi aperto cadavere, levem per tractum intestinorum dispersam inveniebam inflammationem erysipelatosam: ceterum autem sana erant intestina, praeter ventriculum, in cuius parte posteriori media eandem macerationem et tenuitatem detegebam, cum omnibus iam relatis signis. Neque et hic ullum aderat in ventriculo acidi vestigium. Iam etiam, ob nonnulla, quamvis dubia, Hydrocephali signa, caput investigavi, verum infra vel inter membranas, sive in ventriculis nullum effusi humoris vestigium invenire potui; neque membranae erant inflammatae.

## CASUS V.

G. B. puer, menses 15 natus, bene pastus & optima gaudens sanitate, qui omnes dentes iam habebat incisivos, et primos molares, nondum vero cani-

ni-

ninos, paulum aegrotare coepit die 13 Maii anni 1820, quando satis diuturnum tempus humidum et frigidum calor insequebatur: — pristinam hilaritatem amisisse videbatur infans, dum alimenta negabat, et nonnumquam aucto calore et rubore genarum simul cum accelerato pulsu febriculam declarabat: sedes interea manebant ordinatae, neque ulla topica affectio vel inflammatio detegi poterat. Praescripta Mixtura refrigerante, emolliente, in initio in meliorem vergere videbatur conditio infantis, qui vero praeter modum semper placidus erat, neque vagibat; vesperi ordinario levis accedebat febricula.

Die 15 Maii plures adfuerant sedes tenues, verum, uti videbatur, absque dolore abdominis, quae nocte perdurabant, quando etiam bis vomitu potum assumtum rejiciebat. Sequenti die hanc dabam mixturam:

℞. *Aq. Tiliae* ℥IV.
*Nitr. Pot. dep. gr.* XV.
*Gum. Arab.* ʒII.
*Syr. Diacod.* ʒIII
*Sach. alb.* ʒIV.
*M.D.S. omni hora cochlear parvum.*

Qua sensim diarrhaea quidem paulo mitigabatur, cetera vero in eodem manebant statu, et semper bis vel ter de die, tamen absque difficultate, evomebat potum, qui ordinario constabat e lacte aqua intermixto, dum quodcumque aliud nutrimen-

 tum

tum constanter recusabat; quam ob rem dein propinabatur tenue Decoct. Hordei cum sacharo pro potu, cuius avide semper magnam quantitatem assumebat, quum maior adesse videbatur sitis, cum incremento febris. Die 19 materies vomitu reiecta omnino erat grumosa, acidumque spirabat odorem; quare per intervalla parvae doses Carb. Magn. cum Sach. dabantur: — verum die 20 vesperi subito vomitus evadebat vehementior et continuus; eaque quae assumserat infans, per pauca tantum retinere poterat minuta quin evomerentur, vel brevi diarrhaea eiicerentur. Simul etiam insolitum observabam faciëi collapsum cum oculis cavis et summo frigore, praecipue extremitatum; abdomen non dolere videbatur, sed paulo erat durum et tensum. In regione ventriculi applicabam 2 hirudines, quae satis sanguinis exsugebant: vomitus autem non cessabat nec diarrhaea, qua nunc, et semper deinde, materia evacuabatur spissa, tenax, ex luteo albida, non fetens; sed praescripta iam Emuls. ex Sem. IV frig. cum Amygd. Nitro et Syr. Diacod. haec paulo mitior fiebat; ceterum nulla mutatio: — pulsus semper erat celer, sed raro dein cutim calidam observabamus, neque somnum: abdomen erat flaccidum, attactu non dolens; numquam eiulatus edebat infans, sed saepe maxillarum motu et manducandi conatibus dolorem ostendebat in ore, dum in gingivis dentes prodire moliebantur; situm semper servabat supinum, erectum recusans. Vesperi diëi 21, postquam abdomen iam etiam

Ca-

Catapl. ex Farina Lini et Flor. Samb. aliquamdiu fuerat tectum, illi adhuc vesicans imponebam, quod nullam in ſtatu morbi mutationem produxit. — Ex relatis ſignis, et ſimul toto externo infantis habitu, idem ſuſpicabar vitium, quod in prioribus caſibus iam est deſcriptum. In conſilium nunc vocato Doct. PAPING, cum Emulſ., Sinapismis, etc primo continuatum est, et ſimul catapl. ex Herbis aromaticis, Menth. Pip. Flor. Lavend. Melilot. Chamaem. Spir. Vini madidis tegebatur abdomen. Die vero 22 quando vires ſumme erant fractae, continuantibus vomitu et frigore, praescribebatur:

℞. *Aq. Naph.* ℥ ℔.
*Aeth. nitr. alc.* ʒ ʒ.
*Gum. Arab.* ℈I.
*Syr. C. Aurant.* ℥ʒ.
*M. D. S. omni ½ hora cochlearculum.*

Nulla autem mutatio; collapsus vero maior, oculi cavi et contorti, leves subinde convulsiones; omnem negabat potum, et etiam medicamenta assumta statim vomitu redibant: dolorem non percipere videbatur; quater vel quinquies ordinario sedes eiusdem materiae albidae, fere inodorae. Dabantur iam pulveres:

℞ *Mosschi Opt.*
*Nitrat. Bismuth. a gr.* II.
*Sach. alb.* ℈II.
*M. F. Pulv. N°.* VIII.
*D. S. Omni hora pulvis.*

Et simul capiti imponebatur Fomentum ex

℞. *Spir. Vin.* ℥IV.
—— —— *Camphor.* ℥II.
*Aq. Roris marin.* ℥IV.
*m.*

Iam per tres horas nihil vomebatur; ceterum quaevis in peius rueant. Fomentum spiritucsum etiam abdomini imponebatur; et, ut virtus antispasmodica, excitans et simul diaphoretica augeretur, vesperi pulveribus addebantur Caphurae gr. II, sequenti die mane adhuc gr. II: omnia tamen manebant eadem. Pulsus interdum adeo celer et parvus evadebat, ut vix amplius posset sentiri. Addebatur nunc singulis pulveribus gr. ½ Resin. Cort. Perruv.: inter quorum usum, sensim imminutis viribus, sat placide die 24 Maji animam efflavit.

Biduo post instituimus sectionem Cadaveris, pro brevi tempore quo infans aegrotaverat, summe emaciati: in intestinis, praeter parvas hic illic dispersas plagas gangraenosas, et partes contractas, praecipue in colo, neque volvulum, ne-

neque alia inveniebamus vitia. Substantia vero ventriculi, praecipue in parte superiore cardiae, leviter et prudenter valde attacta, statim in fissuras secedebat eandemque monstrabat macerationem, quam antea iam discripsimus: illius affecti loci color externe a naturali quodammodo abludebat; luridus quippe erat et squalidus; maxime vero interne erat mutatus, atque tunica villosa a ceteris partibus divulsa, vel abrasa, et in mucum quasi mutata. Acidi vestigia non percipiebamus; neque in oesophago, parte ventriculi pylorica, vel intestinis ea maceratio ulterius offendebatur.

TANTUM.

# *THESES.*

*I.*

*Quamvis neutiquam assentiamur iis, qui saburrae causam semper in debilitate primarum viarum vel totius corporis ponunt, adeoque semper Roborantia adhibenda esse existiment, usus tamen Evacuantium et Resolventium non nimis diu protrahi debet, licet saburrae indicia adhuc adsint; cum saepius haec debilitatis effectus sint.*

*I I.*

*Opium nonnunquam optimum Antisepticum.*

*I I I.*

*Eos, qui sola inspectione urinae se morbi naturam cognoscere iactantur, Agyrtis adnumerare nullus equidem dubito.*

*I V.*

*Durante mutua Acidi Sulphurici et Spiritus Vini actione, oxygenii parte aliqua privatur Acidum Sulphuricum.*

# T H E S E S.

## V.

*Hinc acidum oritur, quod inter Sulphuricum et Sulphurosum medium tenet.*

## V I.

*Tunica Arachnoidea duplici lamella constat, una cerebrum investiente, altera duram matrem; penetrat in cerebri cavitates, omniaque more membranarum serosarum circumdat. Pendet ab illa secretio aquae ventriculorum.*

## V I I.

*Quamvis multi morbi ab actione abnormi hepatis dependeant, tamen bilem ipsam quoque varia ratione degenerare et reactionem morbosam in corpus ipsum exserere, statuimus.*

## V I I I.

*Musculi abdominales in foetu expellendo maximas partes agunt.*

## I X.

*Aqua frigida in inflammatione, quae combustionis effectus est, optimum sistit Remedium.*